



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm  
Capitum secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 3167**

Si quis aliter docet &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

I. EPISTOLA AD  
CAPVT VI.



**N** sexto capite initio seruis preceptum dat, ubi meminerint iuniores communem regulam confirmari, quæ sepe repetitur, Eius angelium non abolet æconomias & politias, sed concionatur de alijs rebus, uidelicet de æternis bonis, de æterna iusticia & uita, quam Deus efficit in cordibus hominum, quos tamen uult in hac uita Mortali subiectos esse huic ordini, qui iuxta uoluntatem Dei conuenit uite corporali. Vult nos cibo & potu sustentari, uult esse legitima coniugia, & propagationem, Vult esse consociationem ordinariam generis humani, distinctionem dominiorum, defensionem per imperia, contractus, leges, iudicia, pœnas, Ita hic uideamus approbati seruitutem qualis tunc in legibus descripta fuit. Prodest autem & conscientijs, & ad pacem, intelligere hanc doctrinam de approbatione ordinis politici.

*Si quis aliter docet &c.*

**P**receptum de custodienda puritate doctrinae sepius repetitum est in omnibus scriptis Prophetarum & Apostolorum, iuxta illud Galat.



1. Si quis aliud Euangelium docet & c. Id hinc quoque longa commemoratione repetitum est, quae monet & quales sint qui doctrinae corruptelas spargunt, & quales sint materiae, & quanta mala ex inutilibus quaestionibus oriantur.

Postea infert dictum: *Putant pietatem quaestum esse*, Id est, putant doctrinam & nomen religionis esse aucupium quaestus, & ita circumferunt ut quaestus causa exerceant aliqui artes prorsus inutiles, circulatoriam, sive ambulatorem, & similia.

Vtitur autem uerbo  $\tau\epsilon\tau\acute{\iota}\phi\omega\tau\alpha$ , quod significat, attonitus est, seu fulmine stupefactus, ut iudicium & delectus amissus sit. Demosthenes & alij hoc uerbo usi sunt, pro amens sum. Est enim &  $\tau\omega\phi\omega\rho$ , quod significat turbinem, & uetustas pro specie fulminum usurpauit.

Significat ergo tales esse hallucinatores, qui corruptelas uerae doctrinae fingunt, ut iudicio erant, & uelut caeci uicina apprehendant, non ea quae petunt. Deinde & hyperbolas addunt, quales nostra aetate multos uidimus, ut cum Paulus inquit,  $\omega\lambda\acute{\iota}\tau\epsilon\mu\alpha$  nostrum in caelis est, significans Euangelium non constituere politiam mundanam. Anabaptistae simpliciter damnant omnia politica



I. EPISTOLA AD

politica officia, distinctionem dominiorum, magistratus, iudicia, iuramenta.

Cum uetustas dixisset, Iusticia est communicatio Dei cum æqualitate, scilicet ordinata, Hæretici addebant hyperbolen, cum æqualitate, scilicet uniuersali, ita ut æqualiter ad alienas uxores singuli accederent. Talia exempla ostendunt quid nominet attonitos seu stupefactos, ita ut amentia sequatur.

Initia autem huius amentie hæc sunt, quando homo non rectè didicit fundamentum, & sine timore Dei, & sine preceatione iudicat, & admiratione suæ sapientiæ fascinatus amat suas imaginationes, accedit Diabolus & magis impedit iudicium, sicut scriptum est Luce 22. Intravit in eum Satanas. Item, Tenentur captiui laqueis Diaboli, inquit Paulus 2. Timothi: 4. Cum igitur & magna sit infirmitas nostra, & Diabolus tanquam Leo rugiens querat quem deuoret, studiosè discamus fundamentum, & assidue preceatione petamus, sicut Propheta sonans uocem omnium sanctorum, Psalm: 118. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Dicat autem aliquis, unde discernam questiones utiles ab inutilibus? Respondeo. Normam sit fundamentum, ut Paulus inquit 1. Corinthi: 3.

Fundam.



Fundamentum aliud poni non potest, nisi id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. Complectitur autem fundamentum Symbola, & illustre discrimen est LEGIS et EVANGELII. Item iusticiæ fidei & operum, Item veri cultus à Deo instituti, & falsi cultus ab hominibus instituti &c. Intra has metas coerendæ sunt cogitationes, & frenanda est curiositas, ut Ecclesiasticus 5. dicitur: Non sis uelox ad loquendum coram Deo. Et paulo ante capite 4. Accede ad templum ut audias. Roman: 12. Sapite modeste secundum mensuram unicuique datam &c.

Et prorsus fugiendæ sunt illæ pestes, Ostentatio argutarum, Sophistomania, & amor contentionis, quæ damnantur omnibus dictis, quæ præcipiunt ueritatem, & prohibent mendacium, iuxta illud: Non dicas falsum testimonium. Ephe: 4. Deponentes mendacium loquimini ueritatem. Et regulas etiam sequamur: Fugienda consuetudo falsa docentium, iuxta dictum 1. Corinth: 15. Corrumperunt bonos mōres colloquia praua. Item Lucæ duodecimo. Cauete fermentum Pharisæorum.

*Magnum lucrum est pietas*

*cum αὐταρκεία.*

Bis